



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. Nomen Vmbrorum & origo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

## CAPVT V.

*De Vmbrijs & Tuscis, seu Etruscis.*

VMBROS, atque TVSCOS, in vnum caput à nobis coniectos esse nemo mirabitur, qui intelliget quàm fuerint implicatæ vtriusque populi ditiones; vt mox ex historicis paragraphis agnosceretur.

§. I. *Vmbrorum descriptio Historica.*NVM. I. *Nomen Vmbrorum & origo.*

Hos Græci Vmbros Ουμβριῶν nominarunt, & Ουμβριῶν, quòd inundatione terrarum imbris superfuissent, vt asserunt Plinius, & Solinus. Idem tamen Plinius lib. 3. cap. 5. eos à Ombrone Fluvio dictos suspicatur: is per Etruriam decurrit (hodie *Ombro*) quod etiam firmare Stephanus videtur.

De eorum origine duæ opiniones circumferuntur; *Prima* eos αὐτὸχθονας credit; ita Florus lib. 17. cap. 17. qui eos Italiæ populos antiquissimos nominat; sic & alij qui imbris eos superfuisse putauerunt: *Alter* est Solini capite 8. qui ex Boccho tradit Vmbros Gallorum veterem progeniem esse; cui & adstipulatur Isidorus lib. 9. cap. 2.

NVM. 2. *Politia Vmbrorum.*

POTENTISSIMI olim fuerunt Vmbri, quando Vatreus Fl. seu Vatinus nunc *Santerno* Tuscorum & Vmbrorum limes erat, quando & Butrium condiderunt, & Rauennâ potiti sunt quæ ipsis concessa est, cum Tuscorum iniurias Pelasgi ferre non possent. Tusciz quoque maximam partem occupabant, quare Lycophron videtur Arnium Fl. limitem Vmbriæ, atque Liguriæ constituere. A Pelasgis autem eiectioni sunt ex magnâ Etruriæ parte, postquam hi se Aboriginibus coniunxerunt, Cortorâmque occuparunt. Item & à Gallis Senonibus victi ex parte maritimâ Vmbriæ ad montes confugere sunt coacti. Ac demum cum Senonum ager Piceno cōtributus esset, redditus est Vmbriæ postliminio, vt à Strabone nominatim asseritur, & ex descriptione Ptolemæi intelligitur.

NVM.